

creaturarum; et sic respicit illas respectu rationis tamquam expressivum et factivum earum.

Circa rationem imaginis, ostendit duo in quæstione xxxv.

Primum, quod imago ponitur in divinis personaliter, et non essentialiter, eo quod de ratione imaginis est similitudo ut procedens, processio autem solum in personalibus invenitur.

Secundum, quod ratio imaginis solum convenit Filio, et non Spiritui sancto, quia licet Spiritus sanctus in vi suæ processionis accipiat naturam Patris eandem quam accipit Filius, non tamen dicitur natus, nec de ratione ejus est similitudo, sicut de ratione Verbi.

QUÆSTIO XXXVI, XXXVII ET XXXVIII.

In his tribus quæstionibus agitur de Persona Spiritus sancti quantum ad tria quæ illi attribuuntur, scilicet esse Spiritum procedentem a Patre et Filio, esse amorem utriusque, esse donum.

Circa rationem Spiritus sancti ostendit primo in articulo primo hoc nomen Spiritus sancti esse proprium tertiæ Personæ procedentis per voluntatem: proprium enim voluntatis est impulsus, inclinatio, et pondus, quæ nomine spiritus significantur, et nomine etiam sanctitatis, cujus proprium est ordinare in Deum per amorem.

In secundo articulo ostendit Spiritum sanctum procedere a Filio, et non solum a Patre; tum quia ab eo distinguitur: ergo illi opponitur relative, omnis autem relativa oppositio est in vi originis et processionis fundata, et cum Filius non procedat a Spiritu sancto, debet e converso Spiritus sanctus procedere a Filio, tum quia de ratione amoris est quod a Verbo seu conceptione mentis procedat: nihil enim amatur, nisi secundum quod conceptione intellectus apprehenditur.

In articulo tertio ostendit verificari quod Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium, quia licet in utroque sit eadem virtus spirativa Spiritus sancti, tamen Filius est distincta Persona a Patre, habetque ex Patre hanc virtutem.

In articulo quarto docet, quod Pater ut Filius sunt unum principium Spiritus sancti, quia hoc nomen principium sumitur substantive, et in eo non habent oppositionem Pater et Filius. Et similiter sunt unus spirator, licet duo spirantes, quia *ly* spirator est substantivum, *ly* spirantes adjectivum.

Circa rationem amoris, quæ attribuitur Spiritui sancto, duo ostendit in quæstione xxxvii.

Primum, quod amor essentialiter sumptus pro habitudine amantis ad amatum, non est personale nomen. Sumptus autem notionaliter pro habitudine ad principium, a quo spirative procedit, dicitur personaliter, et est proprium Spiritus sancti, qui per amorem procedit.

Secundum est, quod vere dicitur Patrem et Filium diligere se Spiritu sancto, non sumendo *ly* diligere essentialiter, sed notionaliter: essentialiter enim diligunt se suamet essentia, notionaliter autem spirant amorem Spiritu sancto, sicut Pater dicit Verbo, et arbor floret floribus, licet non intelligat Verbo, sed seipso.

Circa rationem doni, ostendit etiam duo quæstione xxxviii.

Primum est, quod hoc nomen donum secundum quod procedit a do-

nante ut a principio a quo datur, est nomen personale, quia explicatur secundum relationem processionis.

Secundum est, quod donum est proprie nomen Spiritus sancti, quia donum importat gratuitam donationem. Quod autem gratuito datur primo et principaliter, est ipse amor dantis, qui est ipsa gratia seu gratuita voluntas, quam inclinatur accipienti donum. Et sic cum Spiritus sanctus procedat per amorem est ipsa prima et increata gratia, seu gratuita voluntas Dei.

DISPUTATIO XV.

DE PERSONIS DIVINIS IN SPECIALI.

ARTICULUS I.

Quid importet formaliter ratio ingeni et Patre?

Ex tribus notionibus quæ Patri attribuuntur, scilicet paternitas, spiratio activa, et innascibilitas, seu esse ingenitum, quælibet suas particulares sortiuntur difficultates. Paternitas, quomodo constituat Personam Patris antecedenter ad generationem. Spiratio, quomodo conveniat Filio simul cum Patre, ita quod sint unum principium Spiritus sancti et quomodo a Filio distinguatur Spiritus sanctus, si spirator non esset. Innascibilitas, quomodo explicetur, et constituatur formaliter per negationem, aut quid de formali importet in Persona Patris. De duobus primis suis locis agendum est, scilicet de primo disputatione sequenti; de secundo in sequentibus articulis hujus disputationis; de tertio in hoc articulo agendum est.

I. Est autem supponendum quod hoc nomen ingenitum, cum ex propria significatione dicat negationem generationis, extenditur tamen ad negationem productionis, vel creationis, aut cujuscumque processionis ab alio, ita ut aliquando

ingenitum sit idem quod increatum, aliquando idem quod improductum, aut nullo modo procedens, aliquando idem quod non generatum seu non natum, quo pacto etiam in creatis dicitur ingenitum seu ingenerabile, quidquid generatione non producitur, ut Angelus, cælum, etc. In præsentibus non sumimus ingenitum pro increato: sic enim erit nomen essentialiter, et commune omnibus tribus Personis: in hac enim acceptione sumebantur ingenitum Ariani, quando conati sunt in Concilio Nicæno obtinere ut diceretur solus Pater ingenitus ut supra disputatione xii, articulo i, retulimus, nempe ut simplices fallerent, et inferrent Filium esse factum, et creatum, quia non erat ingenitus, sumendo ingenitum pro eo quod est non factum, seu non creatum. Sancta autem Synodus dolositate eorum perspicens abstinuit a nomine ingeni, nec illud Patri tunc attribuit, sed in symbolo ita Filium nominavit genitum quod addidit non factum, ut ex hoc perspicuum redderet, quod ingenitum quod Patri soli attribuitur, non accipitur pro increato, seu non facto, id enim etiam adscribitur Filio. Quare *ly* ingenitum sumi debet in præsentibus non pro ingeni essentialiter, quod est idem atque increatum, sed pro ingeni notionaliter, quod est non procedens secundum originem relativam. Et potest sumi vel omnino stricte prout præcise negat generationem seu essentiam, et hoc modo non convenit soli Patri, nec est no-

tio illius, sed etiam convenit Spiritui sancto qui non est natus, sed procedens. Ut ergo sit propria notio Patris, oportet quod *ly* ingenitum sumatur pro negatione omnis processionis, et originis relativæ, ita quod sit Persona a nullo principio procedens. Hoc enim proprium est primæ Personæ. Et sic Augustinus lib. v de Trinitate, cap. iii, dicit: « Ingenitum non dicere substantiam, sed negare relationem. » Et cap. vii concludit: « Non ergo receditur a prædicamento relativo cum ingenitus dicitur, » videlicet quia negatio reductive pertinet ad suum positivum.

II. His suppositis difficultas est circa hanc rationem ingeniti, seu notionem innascibilitatis propriam Patris, an significet solam, et nudam negationem procedendi ab alio, an etiam aliquid positivum, saltem de materiali. Nam ex una parte significare solam, et puram negationem est significare purum nihil: nam etiam id quod nihil est, importat hanc negationem procedendi ab alio. Si ergo per *ly* ingenitum hoc solum volumus significare, scilicet Patrem non esse ab alio, nihil in Patre significamus, quod non etiam in pura negatione significari possit; nec ibi exprimitur aliqua dignitas, seu auctoritas, nisi aliquid amplius addatur in eo quod est non esse ab alio. Debet autem aliquid dignitatis exprimi, cum sit notio Patris, quæ non potest notificare aliquid peculiare, nisi dignitatem aliquam exprimat, quæ in pura negatione, et in puro nihil stare non potest. Unde S. Thomas in hac quæstione xxxiii, art. iv ad i, inquit quod: Ut *ly* ingenitum sit proprium soli Patri, oportet in nomine ingeniti intelligere quod conveniat alicui Personæ divinæ, quæ sit principium alterius Personæ; » quod utique positivum aliquid est.

III. Quod si dicatur *ly* ingenitum

importare aliquid positivum, saltem de materiali, licet de formali exprimat solam negationem processionis, vel illud positivum est aliquid absolutum, vel relativum. Absolutum esse non potest, quia absoluta non pertinent ad notionem proprias Personarum; et sic non potest per tale positivum discerni id quod proprium est Patris, sed id commune est omnibus Personis, pertinetque ad essentiæ conceptum absolutum, non ad notionalem Personæ. Si autem est relativum, illud non potest esse rationis, quia relatio rationis non magis est notio, nec magis dignitatem explicat quam negatio pura: nam etiam negatio ens rationis est. Nec potest illa relatio rationis fundari, nisi in aliquo positivo, et de illo, quatenus sic fundat, restabit idem argumentum, an sit absolutum vel relativum, etc. Si autem est relativum reale, nihil aliud erit quam ipsa paternitas, vel spiratio activa, aut ratio principii, quæ utrique communis est; et sic confundetur illa notio innascibilitatis cum ista paternitatis, vel spirationis: nam tertiam aliam relationem dari in Patre nec imaginari possumus, cum alia processio non sit præter illas duas, in qua nova possit fundari relatio.

IV. Propter hoc divisi sunt auctores in explicando quid importetur in formali ratione hujus notionis ingeniti, et quid de materiali, et ex parte connotati. Nam videntur in hac parte fuisse olim duæ sententiæ ut colligitur ex D. Thoma in hac quæstione xxxiii, art. iv ad i. Nam aliqui dicebant *ly* ingenitum importare aliquid positivum, et non solum negative dici. Hoc autem positivum dicebant esse rationem principii aliorum, et alii explicabant dicendo quod erat universalis auctoritas vel fontalis plenitudo, quod totum in idem redit,

quia fontalitas, et auctoritas non est aliud quam principium originis. Quæ sententia attribuitur S. Bonaventuræ in i, distinct. xxiv, quæst. iv, et distinct. xxviii, articulo unico, quæstione prima, et aliis antiquis. Alii vero dicebant solum importare aliquid negativum, scilicet non esse ab alio principio, non autem importare rationem principii aliorum, ut sic; ista enim ratio principii communiter accepti includitur tamquam quid commune in ratione speciali paternitatis, et filiationis; et sic non differret ab eis ista notio ingeniti. Quæ est sententia S. Thomæ in hac quæstione xxxiii, art. iv ad i, eamque sequuntur communiter ejus discipuli, et interpretes, ubi videri potest Navarrete controvers. xxvi; Suarez lib. v de Trinitate, cap. x, num. vi, et lib. viii, cap. ii; num. ix; Arrubal hic disput. cxvii, cap. ii, Granados tract. vii, disput. ii; numero v; Molina quæstione xxxii, art. iii, disp. i.

V. Nihilominus illa prior sententia, quia innascibilitas importet aliquid positivum quod sic in communi vocatur fontalis plenitudo, seu universalis auctoritas, variis modis ab auctoribus aliquibus tum antiquis tum modernis declarata est, assignando in speciali quid sit illud positivum. Et in primis inter antiquos refertur. Præpositivum tenuisse cum aliis scholasticis, innascibilitatem significare relationem quamdam distinctam ab aliis, oppositam relationi geniti. Quod tamen omnium judicio rejicitur, imo et censuratur ad minus ut temerarium, quia est contra omnes scholasticos, qui solum quatuor relationes reales in Deo ponunt, eo quod solum duæ sunt processionis. Illam autem quintam relationem realem præter paternitatem in Patre, ratione cujus dicatur principium, non agnoscunt, quia ut sit princi-

pium Filii sufficit paternitas, ut sit principium Spiritus sancti sufficit spiratio, ultra hæc autem non est alia relatio realis per modum principii.

VI. Cæterum p. Vasquez licet fateatur disp. cxxxvii, cap. v, num. xiv, innascibilitatem de formali significare negationem processionis personalis, tamen pro materiali, et directo significato dicit importare modum positivum specialis subsistentiæ, qui in Patre est specialis dignitas positiva, scilicet esse universale principium, et fontalem originem Trinitatis. In explicando autem quid sit hoc positivum in speciali, multus est Vasquez, tum citato loco, tum disp. cxi, c. iii, tum disp. clxix, c. vii. In summa ad tres propositiones videtur totus ejus sensus reduci.

Prima est negativa: Positivum hoc importatum in nomine innascibilis, seu ingeniti, non est conceptus paternitatis aut spirationis sub explicito conceptu paternitatis, vel spirationis.

Secunda: Illud positivum est ipse conceptus primi principii, seu primæ Personæ, qui conceptus non est conceptus principii in communi abstracti a principio quod est paternitas, et quod est spiratio, quo sensu S. Thomas impugnat opinionem Bonaventuræ ubi supra, sed est conceptus ipse paternitatis, non sub relatione explicita, et determinata Patris: sic enim præcise respicit Filium, sed sub conceptu primæ originis, et primi principii, qui est conceptus Patris in eo signo antequam generet, et tamen prima Persona concipitur.

VII. Tertia propositio: Pro illo signo seu conceptu apprehenditur illa prima Persona ut principium relatum, non sub expressa relatione paternitatis, quia nondum tunc exprimitur paternitas, ut generans, et

ad Filium, sed sub alia relatione primi, et universalis principii respectu omnium Personarum, quæ est relatio non realis, sed rationis, eo quod per intellectum distinguitur ab expressa relatione paternitatis. Primam propositionem habet disp. cxxxvii, cap. v, num. xvi, in fine. Secundam habet ibi num. xviii, et disp. cxl, cap. iii. Tertiam habet capite illo quinto citato, disp. cxxxvii et disp. clix, c. vii, easque refert late, et explicat p. Alarcon tract. v, disp. vii, cap. iii. Ex quibus colligit prædicta disput. cxl, non probasse D. Thomam ratione sua contra Bonaventuram rationem ingeniti non importare aliquid positivum, quia D. Bonaventura cum affirmet importare aliquid negativum, et positivum, non ex æquo utroque importari dixit, sed negativum de formali, positivum autem de materiali non indirecte, et in connotato sicut subjectum, sed directe, et per se. Hoc autem materiale positivum, quod Bonaventura dixit esse fontalem plenitudinem, non intellexit esse rationem communem communitate prædicationis per modum generis ad paternitatem, et spirationem, quo sensu illum intellexit, et impugnavit S. Thomas, sed esse rationem primi, et universalis principii in Trinitate, quod Pertinet ad primam Personam.

Hæc Vasquez sententia pluribus etiam ex suis durior visa est, eamque breviter refutat p. Suarez lib. viii de Trinitate, cap. ii, num. xi, et vocat improbabilem fugam, dum vult pro materiali, seu pro fundamento illius negationis ingeniti ponere relationem rationis, cum tamen relatio rationis non dicat majorem dignitatem quam privatio: si ergo propter dignitatem ponitur illud positivum, quid dignitatis est in relatione rationis magis quam in privatione?

VIII. Propter hoc fontalis ista dignitas, et plenitudo, qua Pater dicitur primum, et universale principium Personarum procedentium intra Deum, et in nomine ingeniti dicitur importari, aliter explicatur ab aliis discipulis Vasquez præsertim a p. Alarcon ubi supra c. i, num. xviii, et toto capite secundo prolixè valde. Dicunt ergo relationem illam rationis, qua p. Vasquez explicavit fontalem plenitudinem positivam, esse relationem quamdam transcendentalem in prima Persona, quæ ratione nostra distinguitur a paternitate, seu potentia generativa, et a potentia spirativa, seu relatione spirationis, et terminus talis relationis transcendentalis sunt indivisibiliter Filius, et Spiritus sanctus ut possibiles produci radicaliter a Patre. Addit tamen cap. iii, num. iv, hanc relationem transcendentalem non vocari a Vasquez realem, quia sola ratione nostra distinguitur ab aliis relationibus, et frequenter relatio transcendentalis vocatur relatio secundum dici, licet etiam possit dici quod sit ipsemet conceptus paternitatis sub alia connotatione, scilicet primi principii, et fontalis originis, quatenus concipitur in illo signo antequam generet ut primum principium potens ad omnes Personas. Cæterum relatio paternitatis sub expressa explicatione paternitatis non potest esse ratio primi principii, quia paternitas solum explicat conceptum relationis ad Filium, non autem rationem primi principii aut improducti ab alio, aut producentis omnes alias Personas.

IX. Viam sternunt hi auctores pro stabilienda sententia sua infra sequenti disputatione tractandam, quod Persona Patris constituitur antecederet ad originem generationis, non conceptu paternitatis ut subsistenti, sed conceptu innas-

bilitatis, non pro ea parte, qua dicit de formali negationem, sed qua importat positivam rationem primi principii.

Sit nihilominus conclusio: Innascibilitas seu ingenitum de formali solum importat negationem processionis passivæ ab alio. De materiali vero directo (idem est materiale directum, quod fundamentum) non importat rationem universalis principii, vel rationem paternitatis aut spirationis, etiam per modum relationis rationis ad Personas procedentes, et multo minus relationem illam transcendentalem ad Filium, et ad Spiritum sanctum indivise. Sed materiale directum est Persona Patris ut in genere personali, seu notionali a se existens.

X. Prima pars de formali significato ingeniti, quod sit illa negatio processionis passivæ, constat, tum ex ipsa formali significatione nominis, quæ importat formalitatem geniti negatam, genitum autem passivam processionem dicit; tum ex parte rei significatæ, quia Pater in divinis habet producere, et non procedere, nec esse ab alio: ergo utrumque potest in ipso designari formaliter: sicut ergo paternitas significat de formali principium originis generativæ, ita ingenitum, seu innascibile significat carentiam omnis processionis passivæ: illa ergo formaliter significatur.

XI. Secunda pars, quod positivum directum, quod tamquam connotatum hujus negationis se habet, et ut fundamentum non sit illa ratio universalis principii, vel paternitatis, sive per modum relationis sive transcendentalis, sive quocumque modo explicetur habitudo fontalis plenitudinis, et principii personalis, probatur, quia omnis ratio principii activi, et fontalis plenitudinis sumpta positive, et active, necessario debet importare rationem principii

realiter influentis in suum terminum, quia non potest intra Deum dari principium originis, nisi per ordinem ad terminum, quem a se derivat, et in quem influit realiter, alias si non originat illum, non est principium activum ejus. In Persona autem Patris non est nisi essentia absoluta, et Persona relativa. Ad essentiam absolutam non pertinet esse principium originis, cum essentia sit communis omnibus, quod autem dicit originem ut principium importat oppositionem ad suum terminum, atque adeo non est commune omnibus, sed proprium sibi. Ad Personam relativam pertinet ipsa relativa oppositio paternitatis erga Filium, et spirationis ad Spiritum sanctum quibus Pater constituitur influens in istas Personas, per quod designatur quidem ut origo illarum, sed nondum ibi exprimitur quod sit prima origo, et ab alio non derivata, sed solum quod derivet alia a se. Si vero accipiatur ibi alia ratio principii primi in illa Persona antequam intelligatur generans, et explicans rationem paternitatis, vel explicans vim spirationis, talis ratio non potest intelligi ut realiter influens in terminum quem respicit: ergo non se habet ut principium. Consequentia est nota, quia principium activum est idem quod principium influens, illud autem principium quod consideratur in Patre debet esse activum, quia significatur nomine fontis, seu fontalis plenitudinis omnium Personarum; fontale autem principium activam influentiam dicit. Antecedens autem certum est, quia non datur aliquis influxus universalis a Patre procedens in Filium, et Spiritum sanctum indivise, si quidem per paternitatem plene, et adæquatissime generat Filium sine alio influxu, et per spirationem in se, et in Filio existentem completissime

influit, et producit Spiritum sanctum. Nec requiritur alius influxus utrique productioni communis: nec enim est ratio aliqua communior, vel superior in producendo, quæ utrique Personæ communis sit: ergo neque datur principium aut ratio respiciens indivise utramque Personam producentem Filium, et Spiritum sanctum, bene enim valet a negatione influendi ad negationem originandi, et respiciendi. Quod si dicatur dari rationem communem principii respectu paternitatis, et spirationis, non per modum universalitatis in influendo, et producendo, sed tamquam ratio communis in prædicando, fatemur hoc, sed talis ratio communis includitur in utraque relatione paternitatis, et spirationis, ut arguit D. Thomas in hac quæstione xxxiii, art. iv ad i. Et sic innascibilitas non erit alia notio a paternitate, et spiratione, sed includetur in illis tamquam commune in particulari, nec erit notio innascibilitatis, singularis notio Patris, sed prædicatum quoddam commune paternitatis, et spirationis; quod negat Vasquez et qui eum sequuntur.

XII. Denique, ratio illa positiva quam dicunt significari nomine ingeni, neque potest esse ratio rationis, ut insinuat Vasquez, neque ratio transcendentalis ad Filium, et Spiritum sanctum ut dicit Alarcon, neque ipsamet paternitas inadæquate considerata, et pro illo signo antequam generet, neque aliquid absolutum. Non ratio rationis, tum quia hæc non plus dignitatis importat, quam privatio, cum etiam privatio ens rationis sit; et ita si ratio rationis accipitur aliquando pro dignitate, et honore, ut esse iudicem, esse doctorem, etiam privatio accipitur pro honore, et dignitate, ut esse exemptum, et deobligatum a servitute, et alia similia.

Tum etiam quia ratio rationis nihil juvat ad fontalem illam plenitudinem, et auctoritatem universalis principii, quia illa fontalitas, et principium est respectu Personarum realiter a Patre procedentium, respectu quarum ratio rationis non dicit ordinem principii realis: nam si principium realem ordinem non habeat, principium reale non est in divinis, licet respectu creaturarum Deus sit principium non per ordinem realem ad ipsas, sed per respectum rationis, eo quod creaturæ sunt diversi ordinis, et dependent a Deo, Deus vero ad ipsas non ordinatur. Hoc autem modo non potest Pater esse principium, et fons Personarum divinarum: esset enim principium earum, sicut est principium creaturarum, non respiciendo ipsas realiter, sed per respectum rationis, cum tamen Personæ ipsæ procedentes realiter respiciant Patrem ut principium: sic enim creaturæ se habent ad Deum, et Deus est principium earum. Quare si Pater consideretur ut fons, et principium Trinitatis universale, oportet quod talis fontalitas, et auctoritas principii universalis habeat rationem principii realis realiter influentis, et respicientis suos terminos: ergo ad hoc perperam recurritur ad respectum rationis, cum iste non constituat relationem principii, et fontis divinarum Personarum.

XIII. Non potest etiam dici quod positiva illi ratio sit ratio transcendentalis ex parte Patris ad duos terminos, scilicet Filium et Spiritum sanctum pro indiviso. Etenim ratio ista transcendens non potest respicere Filium, et Spiritum sanctum per modum principii influentis, ut ostensum est, quia non datur influxus aliquis pro indiviso, et eodem modo influens in Filium et Spiritum sanctum, si quidem Filius adæquate, et integre procedit per

intellectum, et Spiritus sanctus per voluntatem, nec datur alia tertia ratio influendi indivise in ipsos, quæ nec sit per intellectum, nec per voluntatem, quia talis influxus, et actio non datur intra Deum, nec assignabilis est. Neque illa ratio transcendentalis est ratio primæ Personæ ut subsistentis, quia ut sit Persona non conducit ratio transcendens, sed prædicamentalis, scilicet illa quæ facit oppositionem cum alia relatione correlativa, sicut est paternitas, quia Persona dicit incommunicabilitatem in ratione Personæ, et oppositionem, quod est proprium relationis prædicamentalis; esse autem primam non habet per respectum transcendentem ad Personas sequentes, et procedentes, sed per negationem prioris: hoc enim est esse primam: nam respicere aliquid ut sequens, et procedens a se, non constituit rationem primi, sicut Filius est Persona quæ respicit aliam procedentem a se, nec est prima. Quod vero respiciat omnes procedentes in Deo ut procedentes a se, et consequenter nulla est a qua ipse Pater procedat, hoc ideo constituit primam Personam, quia importat negationem, non procedendi ab aliqua, non vero quia positive dicit alias procedere a se. Nec alias procedentes a se respicit relatione transcendentali, quia in tantum respicit ut procedentes a se, in quantum est influens in illas: non est autem influens per relationem transcendentem, sed per relationes originis, quæ sunt secundum esse in Deo et notionales, utpote oppositionem relativam dicentes. Ubi est ergo illa transcendentalis ratio, aut quomodo competit Personæ illi? Denique, transcendentalis ratio in re aliquid absolutum est sicut actus, et habitus transcendentaliter respiciunt objectum, et materia formam, et partes totum. In Deo autem id

quod est absolutum non constituit rationem notionalem, et propriam Patris, cum sit commune omnibus, et consequenter neque rationem fontalis et universalis principii ad Personas procedentes. Id autem quod est relativum, et non absolutum in Patre non est aliud quam paternitas, et spiratio, quæ non transcendentaliter, sed prædicamentali-ter, et secundum esse relativa sunt, utpote relative opposita suis terminis. Ergo talis ratio transcendentalis non explicat rationem illam fontalis principii, et positivæ auctoritatis importatæ in recto in nomine ingeni.

XIV. Denique, non est hoc positivum ipsa ratio paternitatis inadæquate considerata antequam generet, neque est aliquid absolutum. Non absolutum, ob rationem dictam, quia absolutum non est notio in divinis, sed est commune omnibus Personis, non propria Patris nota, et character. Non ratio Patris inadæquate considerata, quia sic innascibilitas non erit notio distincta a paternitate, sed in illa inclusa, et quasi pars illius. Urget enim hic eadem illa ratio, quam format D. Thomas in hac quæstione xxxiii, art. iv ad i, quod si ratio principii sit aliquid commune paternitati, et spirationi, illa includetur in ipsis, nec erit ingenum sumptum pro principio sic communi, aliquid distinctum a paternitate, et spiratione: ergo eadem ratione, si est conceptus paternitatis inadæquate sumptæ, erit ly ingenum notio inclusa in paternitate, non ab illa distincta. Et præterea, quia conceptus paternitatis etiam inadæquate sumptus, et post generationem non refertur nisi ad Filium, nec exprimit rationem primæ Personæ, sed solum Personæ generantis; et sic solum se habet ad Filium, non ad Spiritum sanctum formaliter: id enim habet per